

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
C Y A N O S I,
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE
LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS
RITE CONSEQUENDIS
IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Henricus Pallehner,

Hungarus Posoniensis.

In theses calci adnexas disputabitur in aedibus Universitatis
die 10. Novembris anni 1832.

VIENNAE,
TYPIS VIDUAE ANTONII STRAUSS.

PHYSICIAN
GENERAL PRACTICE

1000 N. 10th St.
Minneapolis, Minn.

Office Hours: 9:00 a.m. to 5:00 p.m.
Sundays 10:00 a.m. to 12:00 p.m.

Residence: 1000 N. 10th St.
Minneapolis, Minn.

Graduated from the University of Minnesota
Medical School, 1915

Member of the American Medical Association
and the Minnesota Medical Society

Member of the Board of Directors
of the Minneapolis Hospital

Member of the Board of Directors
of the Minneapolis Free Hospital

FRATBI DILECTISSIMO

AUGUSTO PALLEHNER

HAS STUDII MEDICI PRIMITIAS

I N

AETERNAE GRATITUDINIS ET AMORIS MONUMENTUM

OFFERT

AUCTOR.

FRATRI DILECTISSIMO

AUGUSTO PALLEBRINI

DEI STUDII MEDICI FRATRES

LETTERAE GRATULATORIAE ET AMORIS MONITIONES

OPUS



Cyanosis Nosographia.

Cyanosis, Cyanopathia (a *κυανος*, coeruleus et *πάθος*, morbus) etiam morbus coeruleus, Germanis *Blausucht, blaue Krankheit*, Gallis *Maladie bleue, ictère bleu*, Hungaris *Kék betegség* dicta, eam cachexiæ speciem sistit, quæ semet colore coeruleo per totam corporis superficiem diffuso manifestans, vitiatae cordis conformationi, hinc oxydationi sanguinis insufficienti, praevalentique ejusdem indoli venosae innititur.

Non tamen haec decoloratio corpus universum de repente invadit, verum ab initio transitoria solum observatur in digitis, unguibus, facie, praecipue vero in labiis livescentia, quæ cursu potissimum velociori, animi motibus, tussi, imo in infantulis tenerioribus solo saepe vagitu aut suctu provocatur, atque respirationis difficultate, anxietate, inquietudine jungitur. Livoris hi accessus pedetentim diuturniores fiunt, amplio-rem corporis superficiem occupant, respirationis difficultas adaugetur, quæ tamen omnia paroxysmo ad finem vergente pro majore saltem parte iterum dispa-rent. His accedunt cardiopalmus, violentis quidem mi- nus tamen regularibus vibrationibus semet manifestans, pulsus contractus, parvus, frequentia normalem ex- cedit, oculorum caligines, scotomia, vertigo, animi deli- quium. Oculi tamen turbulenti cum pupilla saepius contracta, sudor viscidus, faeces albae aut viridescen- tes, voracitas insolita, nausea, vomitus, convulsiones, minus certa morbi constituunt phaenomena. Sympto- mata febrilia ut plurimum deficiunt.

Insultus, a viginti minutis ad horas nonnunquam extensus, mox periodice, mox indeterminato tempore rediens, inspiratione profunda saepiusque repetita plerumque solvitur. Symptomata autem recensita pari passu cum insultuum frequentia et duratione numero (et tenore augentur. Livedo, quae intermissionis tempore disparuit, nunc perstat magisque in colorem violaceum, purpureum, profunde rubrum, imo nigricantem vergit, respiratio redditur summopere citata, difficillima, sibilans, cordis ictus violentes, irregulares, intermittentes, cum arteriae tamen ictu synchroni evadunt, anxietas summum culmen attingit. Aegri imminente paroxysmo abdomini incumbere, corpora vicina prehendere, pectusve solido cuidam corpori adprimere magnopere amant, tandem vero conscientia orbatu concidunt et nonnisi post quadrantem vel dimidiam horam mirum in modum delassati iterum respiscunt.

Constans praeterea Cyanoseos symptoma frigus extremitatum constituit ex circuitu sanguinis impedimento, morbosaque oruoris qualitate facile explicanda. Aegri de frigoris sensu saepissime conqueruntur hinc radiis solaribus semet exponere fornacique calefacto insidere amant, irritabilitatem muscularem plus minus infractam offerunt, ita ut minimam nonnunquam virium intentionem inconsueta delassatio et dedolatio jam excipiat. Sic *cel. Fare* refert se aegrum viginti duorum annorum vidisse, qui ultimis ante obitum septimanis nec pedibus insistere valuit. Digestionis opere laeso non mirum tibi videbitur nutritione quoque turbata, aegros morbo coeruleo adfectos summopere emaciari; adeo quidem ut habitum phthisico simillimum referant.

Systematis nervosi functionibus minus laesis, nec mentis facultates magnopere deviant, hinc etiamsi morbus coeruleus a prima infantia perduraverit, sensuum tamen interiorum evolutio non semper intercipiebatur.

Paucissimi solum ab observatoribus medicis adducuntur casus, in quibus hebetudo mentis sensorium quoque adfectum testantur, quamvis et haec a nonnullis symptomatibus accidentalibus adnumorentur. Cephalaea, temulentia, vertigo, ecclyses, epilepsia, amblyopia, animi deliquia, lethargus, obauditio, coecitas transitoria, ut symptomata adfecti systematis nervosi considerari tamen possunt.

Sanguinis venositate praevalente non miranda tibi videbitur singularis aegrorum morbo coeruleo adfectorum in haemorrhagias proclivitas, quae non raro ad diathesis scorbuticae gradum extollitur, id quod et ipse sanguis indole sua admodum fluida, colore purpureo, nigrescente aut atro plane confirmare videtur. Variæ vero observantur viæ, per quas sanguis viam sibi legit, mox enim nares, mox gingivæ et oris cavum, mox pulmones vel intestinum rectum eundem plorant. Si vero perpendis hanc in profluvia cruenta proclivitatem a morbosa sanguinis conditione, tenuitate nimirum, principii plastici defectu et ut breviter dicam, indole sanguinis magis venosa dependere, si deinde opinionum physiologicarum, quae sanguinem tempore menstruationis e genitalibus femineis exoretum ut plurimum profundius tinctum aut atropurpureum, indolis venosae esse volunt, si dico harum opinionum immemor non fueris; non te amplius fugiet corpora feminea Cyanosi adfecta in uteri profluvia praeprimis disposita esse debere.

Aegri malo increcente somno ut plurimum inquieto noctes transigentes mane magnam persentiunt de-lassationem, pusillanimi praeterea vitae spernunt delicias, occupationes quasvis sollicitè fugiunt, et ad spec- tu languido tristisque se morbo altioris gradus tentatos esse enunciant.

Non tamen eundem semper servat morbus decursum, qui potius constitutioni individuali, nec non in-

tensitati quam cordis vitium organicum assecutum est respondens, varie a descripta via deflectit. Non raro namque unus alterve morbi insultus aegrum orci faucibus tradit, tum interdum morbus per menses et annos occurrit, quin adeo infaustas vitae struat insidias.

Aetiologia et Nosogenia.

Observationibus complurimis jam evictum est, certas tenerrimae imprimis aetatis periodos Cyanopathiae evolutioni quam maxime favere, ut finem septimanae et mensis secundi, dentitionem primam, nec non periodum evolutionis organorum pectoris. Ad vitia cordis vero, quae in plerisque casibus ut excitantes livoris cachectici causae considerari possunt, sequentia referimus.

1) *Cordis conditio talis qualis in foetu esse solet* (fortdauernde Fötalbildung des Herzens), apertus nimirum ductus arteriosus Botalli et foramen ovale patens. Quemadmodum in foetu nondum respirante communicatio inter venosam et arteriosam cordis partem absolute requiritur, et ad normam pertinet; ita in neonato jamjam respirante hae duae viae superfluae redduntur, quapropter etiam pedetentim occluduntur. Sanguis enim venosus debita oxygenii copia carens per pulmones primum feratur oportet, ut ibidem eam induat ab oxygenio crasim, quae pro vita et sanitate in debito tenore conservanda requiritur. Ubi vero citra tempus ex causis nondum sufficienter notis una alterave vel utraque cordis dextri cum sinistro communicatio persistit, pars sanguinis venosi oxygenii debita copia orba in circumvehitur. Etiam in adultis haec non raro observantur vitia. Utrum vero ab ipsa tenera aetate persistat vel utrum recenti data causa sublatae jam communiones denuo aperiantur, difficulter deceditur. Qua vero ratio-

ne haec foetalis cordis constitutio ad genesim morbi coerulei contribuat, serius patebit.

2) *Imperfecta cordis in ipso utero matris evolutio.* Pro-ut observationes physiologicae in ovo incubato institutae docent punctum saliens (primum cordis germen), simplex tantum est, ita ut sinistrum solum cor adsit dextro serius deinde evoluto. Turbata nunc causa quapiam hac normali cordis evolutione in utero materno, homo nascitur imperfecto corde praeditus. Ast et hic duplex casus possibilis est, vel enim:

a) Cor unico tantum atrio et respondente ventriculo constat, uti id in reptilium ordinis inferioris et Batrachiorum corde observare licet, vel

b) Cor duobus componitur atriis, ast unico tantum ventriculo, ut in reptilibus ordinis altioris.

3) *Ramificatio et insertio vasorum majorum a norma abludens*, quae transitui abnormi sanguinis venosi in sphaeram arteriosam favens ad morbum generandum contribuit. Sequentes adhuc casus attentione digni:

a) Aorta ex ventriculo et dextro et sinistro una prosilit;

β) Arteria pulmonalis ventriculo sinistro pro parte inseritur ac in utramque patet cameram;

γ) Aorta ex corde dextro, pulmonalis ex sinistro nascitur;

δ) Arteria pulmonalis aortae trunco inseritur;

ε) Aorta una cum arteria pulmonali in cor sinistrum, vel

2) utriusque arteriae ostia in dextrum cor patent;

η) Aorta in origine duplex.

4) *Arteriae pulmonalis angustia aut plenaria ejus ad insertionem concretio*, quae simultaneam foraminis ovalis aut ductus arteriosi aperturam interdum comitari observatur.

Nou tamen haec solum, verum et alia cordis vitia cadavera Cyanosi defunctorum obtulere, quae tamen

ad morbi generationem aut nihil aut remotam tantum symbolam conferre videntur, et potius qua effectus vitiorum liberum sanguinis motum et normalem distributionem impredientium, aut qua mere accidentalialia phoenomena considerari merentur, quae abesse aequae ac adesse possunt. Ad haec autem symptomata sequentia referenda erunt.

Atriorum et ventriculorum angustatio insolita, vel extensio normam excedens, valvulae mitrales vitiato conformatae, vel unius alteriusve defectus plenarius, arteria pulmonalis aorta nimis dilatata, venarum cavarum et pulmonalium ab invicem separatio, deficiens ad foramen ovale valvula, cordis moles, forma insolita, situs perversus.

Perpensis rite quatuor cordis vitiis generalibus prius enumeratis morbi Cyanoseos nosogenia aliquomodo jam intelligitur. Sive enim spectemus patentem canalem arteriosum, sive foramen ovale apertum, aut septum ventriculorum perfossum sive angustatum arteriae pulmonalis lumen, sive demum hujus aut aortae ostia in duplex cavum patentia, ubique cernimus morbosam sanguinem arteriosum inter et venosum communionem, ubique videmus sanguinis venosi, debita nimirum (quoniam pulmones nondum permeavit) oxygenii copia destituti per arteriosum systema distributionem. Sanguis venosus ater maxima parte ex atrio dextro vel illico in sinistrum mediante foramine ovali, vel per canalem Botalli in aortam vel in ventriculum dextrum promotus inde per septum perforatum in cameram sinistram transvehitur, unde facile etiam concipitur morbosa cordis sinistri dilatatio, quam adeo frequenter observare licet. Quo majori autem copia sanguis eo ruit, eo minor necessario copia in pulmonalem arteriam ejusque ramos propellitur, et tanto minor etiam copia salubri oxygenii influxui exponitur. Praedominatur talibus sub rerum circumstantiis indo-

les sanguinis venosa, talis quippe qui oxygenio egenus carbonio abundans intercepto oxydationis processui suam originem debet. Eam namque Physiologia hodierna statuit theoriam, sanguinem per pulmonum vasa meantem oxygenium ex atmosphaerico aëre inspirato attrahere, colorem in laete rubrum mutare, eamque indolem, qua systema arteriosum ad reactionem vitalem concitare omnino posset acquirere.

Quamvis Cyanoseos genesis ex vitiis cordis male conformati, pulmonum organica labe, sanguinis oxydationem impediende explicari utique valet, attamen magnis adhuc premimur difficultatibus primam vitiatæ cordis conformationis causam assignare volentes. Minus haesitant medici in explicanda origine Cyanosis adultos infestantis, ut quibus mox adfectiones catarthosae, tussis convulsiva, violentiae mechanicae thoraci illatae, lapsus ex loco altiori, concussio thoracis, hepatis cordisque inflammationes sufficientia momenta morbum generantia constituunt. Haereditaria vero dispositio, quae a nonnullis causis, morbum coeruleum generantibus adiungitur, morbi originem nullatenus dilucidat. Probabiliter primum morbi germen in utero materno latebit. Ast quousque mutationes, quas foetus in utero subit, clarius non patebunt, quousque hepatis lienisque in sanguificationem influxus omni ex parte dilucidatus non fuerit, eousque et vitiorum cordis in utero materno adquisitionum atris tenebris obvellata manebit origo.

P r o g n o s i s.

Prouti causae morbum coeruleum generantes variae sunt, ita et illius exitus varius deprehenditur. Magis fausta ipsa prognosis pronuntiari utique potest, tum nimirum causae morbum hunc generantes tales fuerint,

quae amoveri possunt, aut quae per longius tempus perstantes sua deinde sponte iterum evanescent, uti dynamica aut mechanica quaedam circuli obstacula. Sub talibus enim rerum circumstantiis morbi coerulei in sanitatem plenariam transitus possibilis adhuc. Valet hoc de variis livoris morborum speciebus, quae aliorum morborum symptoma constituunt, quales observantur sub frigore febrili, apoplexia, epilepticis insultibus, peripneumonia, hydrothorace. Verum Cyanopathia, quae organico cordis aut vasorum majorum pulmonumve vitio innititur, limitatam solummodo prognosim admittit, plerumque enim in mortem vel alia mala secundaria terminatur. Observationibus constat, mortem Cyanosi pravae cordis conformationi innixa inductam, certis vitae periodis frequentiore esse, id quod suspicionem movet; certis vitae temporibus majorem oxygenii copiam organismo necessariam esse, qua deficiente sanitas ipsaque vita periclitatur.

Referimus vero ad vitae periodos (ut supra jam pro parte monuimus) finem septimanae et mensis secundi, nec non initium dentitionis primae, annum undecimum, duodecimum. Deinde et sexus in pronuntianda prognosi ratio habenda, cum experientia constet virilem sexum frequentius et citius Cyanopathiae succubuisse.

Varium praeterea exitum cyanosis habere solet, pro varietate vitii organici cor et vasa majora occupantis, cum tamen sectione post mortem instituta solummodo innotescant, eis prognosis superstrui neutiquam potest.

Firmioribus jam fulcris prognosis a morbi gradu desumta innititur. Quo intensior color coeruleus, quo frequentiores insultus dispnoici, quo major ictuum cordis arteriarumque irregularitas, et quo juniorem morbus adgreditur aetatem, eo gravius etiam aegro imminet periculum. Aegri vero morbo ad summum culmen evectoro aut suffocantur, aut vero malis secundariis, uti

hydropi, phthisi pulmonali tabi succumbentes lacteis tandem traduntur undis.

In cadaveribus cyanosi defunctorum praeter vitia cordis supra allata, et aliae inveniuntur desorganisationes, uti hepatis moles adaucta, hydatides, abscessus in cerebro, aut seri collectio in ventriculis cerebri, pulmonum tubercula, vomicae, concretiones etc.

T h e r a p i a.

Quemadmodum cura Cyanosis symptomatae talis nimirum, quae aliorum morborum, uti apoplexiae, asphyxiae, peripneumoniae, hydrothoracis symptoma constituit, ablatione morbi principalis haud raro prospere cum successu coronatur, ita saepissime conatus medicorum curam radicalem *Cyanosis praecordialis* molientium irriti redduntur.

In hoc enim morbo radicitus nec unquam tollendo, omnia medici conamina in eo concentrant, ut molestiis et turbis compositis aegri miseriae moderentur, vitaeque procrastinetur. Medicus itaque prudens ceteris postpositis ante omnia impetuosum et irregularem cordis arteriarumque motum, in quantum fieri potest, componere studebit. Hac enim ratione non solum insultus violentes vitae discrimen minantes praecaventur, verum etiam sanguinis per pulmones motus, oxydationisque processus expeditur. Huicce indicationi rectum aëris, nutrimentorum, exercitii corporis, animi pathematum et somni moderamen optime satisfaciunt. De quibus singulis singulatim.

Aër sit purus, moderate calidus; frigidus morbum exasperat. Hinc aequabilis corporis sötus, refrigerii et frigoris protracti sollicita fuga aegris commendanda. Ne tamen caloris gradus modum excedat, ut qui justo major circulum sanguinis incitando tantum aberit, ut morbum imminuat, quin potius eundem ad altiorem mox evehet gradum.

Victus sit facilis digestu, neque nimia aegris copia offeratur, magis e regno vegetabili depromptus, cum victus carnosus magis nutriens, sanguinem nimis plasticum reddit, qui deinde cor et arterias ad vehementiorem reactionem sollicitans morbi vehementiam intendit.

Sitis hac in morbi specie optime aqua pura nec nimis frigida fallitur, si vero sitis normam excederet, aqua acido vegetabili nupta commendanda, ut quae duplici scopo satisfacit, cum ex altera parte sitim extinguit, ex altera nimiam systematis vasorum agilitatem compescit. Vinum vero, prouti quaelibet potulenta spirituosa fugienda esse, ex morbi natura sat luculenter elucet.

Cum motus corporis activus quilibet vehementior circulum non accelerare non potest, suapte patet, cursum velocem, saltationem, exercitia gymnastica quaevis sedule vitanda esse. Simili modo omnia, quibus pulmonum vires nimium intenduntur, uti cantus, clamores, sermocinationes protractae, ad morbi exasperationem contribuunt.

Optime conducit aegris corporis motus passivus modum tamen non excedens, vectio in rhedis commode constructis, equitatio moderata etc.

Summa praeterea aegris Cyanopathia tentatis animi quies injungenda, et eo prospiciendum ut animi pathemata imprimis excitantia sollicite vitent.

Cum somnus in qualibet morbi specie ad recreandos aegros plurimum contribuat, hinc videndum, ut quantum fieri potest, tranquillus illis concedatur. Amovenda igitur omnia, quibus turbari interrumpive possit.

Huicce nunc regimini diaetetico remedia subjungenda erunt, nimiam systematis vasorum agilitatem compescentia, uti: remedia refrigerantia, diluentia, aperientia, emulsa, nitrosa, acida vegetabilia, acetum, acidum citricum, tartaricum, succi fructuum horraeorum acidulorum, berberum, ribium rubrorum. Cum praeterea

evacuaciones alvinae liberiori humorum motui per organa vasaque faveant, irritationem systematis vasorum minuant, humores a visceribus nobilioribus ad tubum intestinalem alliciant, facile intelligitur, et harum in Cyanosi rationem habendam esse. Conveniunt hunc in scopum optime purgantia leniora eccoprotica, manna, tamarindi, cassia fistula, sales medii, calomel, aqua laxativa Viennensis, electuarium lenitivum vel clysteres evacuantes. Tenellis vero infantulis praeter ceteris syrupus cichorei cum rheo, magnesia, manna placet. Si vero perpendimus praesente inter cor dextrum et sinistrum communicatione sanguinem venosum in sphaeram arteriosam majori cum impetu promoveri, si incensum vocamus omnia momenta sanguinis volumen adaugentia, plethoramque spuriam gignentia molestias praecordiales adaugere, luce clarius constat phlebotomiam data occasione in morbo coeruleo negligendam non esse. Venaesectio virium statui, aegri constitutioni nec non morbi gradui adcommodanda, dominante praecipua constitutione inflammatoria, sub haemorrhagiis saepius repetitis, ingruente anxietate magna indicata erit. Quantitatem sanguinis detrahendi casui speciali adaptandam esse, monere superfluum censeo. Tenera aegri constitutio, pulsus parvi, debiles, motus cordis languentes totidem momenta sanguinis inopiam indicantia sistunt, venaesectionemque interdicunt. Recurrendum his sub rerum positionibus ad ea remedia, quae irritabilitatem systematis arteriosi deprimunt, pulsum frequentiam imminuunt, uti digitalim purpuream, aquam laurocerasi, acidum prussicum, imo ipsa quoque plumbi praeparata.

Hisce nunc propositis primae indicationi, quae nimirum cordis motus vehementiores refrenare studet, satisficit. Praeter hanc tamen et alia indicatio illa nimirum, quae nimiae sanguinis venositati succurreret adimplenda erit. Diversas medici proposuerunt methodos

hunc in finem instituendas, quarum tamen praecipue sequentes:

Lentin inspirationem gaz oxygenii commendavit. Credidit nimirum sanguinem sub hac morbi specie in pulmonibus circumactum oxygenii egenum tali ratione optime hoc principio impraegnari. Dum vero oxygenii quatenus merum inspiratur, nimis stimulantem vim respicimus, dubii vix haesitamus hacce methodo nimis validam induci posse irritationem cyanosim nonnisi exasperantem.

Majoris utilitatis *primo intuitu* adparet *transfusio* sanguinis, quam *Nevin* similem in finem proposuit, immisso enim sanguine hominis sani, sufficiente quantitate oxygenii impraegnato, emendatio sanguinis vitiiati *ut-cunque* concipi posset. Respiciendo tamen ad ipsam haematopoesim, quae sanguinem pro vitae individualis sustentatione tantum idoneum parat, perpendendo deinde sanguinem heterogeneum inimicum sistere stimulum, abunde patebit, *mechanicam* hancce sanguinis miscelam in Cyanosi vix utilitatem praestare posse.

Cel. Nasse oxydationem sanguinis in ipsis arteriis fieri posse autumavit, suadens ut integrum aegri corpus, vel vero singula illius tantum pars cum positiva sphaera columnae Voltaicae in contactum ponatur. Verum et hic experimenta hunc in finem instituta medicorum votis nullatenus satisfecerunt.

Majus aliquantulum auxilium ipsae substantiae oxygenio potentes interne adhibitae promittunt, uti: acida mineralia, carbonas lixivae acidulus, oxyda metallorum etc.

Ingruente vero insultu suffocationem minante, qui mox causa data, mox vero ea deficiente miseros adgreditur, eadem regulae therapeuticae observandae veniunt, promptissimum tamen magis energicum desideratur auxilium.

Interdum phlebotomiae necessitas summopere ur-

get, alias refrigerantium, diluentium, alvum evacuantium, fomentorum balneorumve calidorum usus non negligendus.

A remediis vero stimulantibus et antispasmodicis abstinendum esse omni jure suadent medici.

Ex hic praecipua circa curam Cyanosis praecordialis notanda. Cum radicalem curam morbus hic causae non amovendae innixis nullatenus admittat, medicus eo adniti potissimum debet, ut vitam saltem prolonget, molestias alleviet mortemque procrastinet.



L i t t e r a t u r a.

-
- Meckel's* Handbuch der patholog. Anatomie. Thl. I. p. 426.
- Nasse*, im Archive zu Burns Schrift, und in *Reil's* und *Autenrieth's* Archive. Bd. X. S. 1.
- W. Hunter*, Med. commentat. by *Duncan* D. II. v. LX. Nr. X. p. 325.
- Sandifort's* Obs. anat. pathol. C. I. p. 9.
- Abernetty's* chirurgische und physiologische Versuche, übersetzt mit Anmerkungen von *Brandis*. Bd. I. p. 156.
- Nevin*, in der Sammlung auserlesener Abhandl. Bd. XVII. p. 86, und Med. obs. and inquir. Vol. VI. p. 304.
- Lentin's* Beyträge zur ausübenden Arzneyk. Bd. II. p. 68.
- C. F. Haase*, Diss. de morbo coeruleo. c. Tab. aen. Lips. 1813.
- Schuller*, Dissert. de morbo coeruleo. Oenip. 1810.
- Farre*, on malformations on the human heart, illust. by numerous cases and 5 plates etc. London, 1814.
- Kreysig*, über die Krankheiten des Herzens. Thl. I. p. 371. Thl. II. Abth. 2 p. 788.
-

Theses defendendae.

I.

Medicamentorum solventium principium efficax, ipsum constituit oxygenium.

II.

Taciturnitas necessariis medici proprietatibus est adnumeranda.

III.

Diaeta est cardo medicinae.

IV.

Suffusiones frigidae in morbo maniaco remedium sistunt medici attentione perquam dignum.

V.

Existit urethritis originis syphiliticae.

VI.

Febbris nervosa primaria vix datur.

VII.

Lupanaria in civitate merito damnantur.

VIII.

Cyanosis originem principalem in prava cordis conformatione agnoscit.

IX

Prosopalgia rheumatica ab sic dicta nervosa probe distinguenda.

X.

Stehtoscopus majore medicorum attentione dignus est, quam quae hucusque ipsi contigit.

XI.

Morbi infantiles famae medicorum aggerem haud exiguum opponunt.

